

sibi muniret, anne ad quaeuis interrogata responderet, ex eo quaerente; ore hianti Gorgias, id ipsum sese profiteri, neminemque vnquam noui quid ex se quaesisse, reponit. Polus, multa dicendo defessum iam Gorgiam causatus, responsurum se pro eo profiteretur; quaerenti- que Chaerephonti, in quam arte excellat Gorgias, In praestantissima, non minori iactantia, quam imperitia, respondet. Arrepta occasione Socrates, eoque reprehenso, addit, cupere Chaerephontem, non qualis sit eius ars, sed quaenam, id est, quo vocetur nomine, nosse, et orationem rursus ad Gorgiam conuertit. Quo rhetorem se profitente, rhetoricamque versari circa λόγους affirmante, redarguit hoc ipsum Socrates, tanquam haud satis accurate expositum; λόγους namque rationes rerum et causas, sermones praeterea, et orationes significare. Sublaturus hanc ambiguitatem Gorgias, orationesque ad rhetoricam pertinere affirmans, in aliam rursus incidit ambiguitatem: plura namque sunt orationum genera; ergo, quinam sit finis suae artis, nondum patet. Quem summum esse et maximum in vita hominum bonum, affirmando, in nouam incurrit reprehensionem, quod bonorum plurima sunt genera, omnesque artes ac artifices magnum quoddam et praecipuum sese allaturos bonum profitentur. Regerit Gorgias, finem nihilominus suae artis maius esse his omnibus bonum, cum posse senatui, populo, iudicibus, quaecunque libuerit, persuadere, sit reliquis omnibus praefendum, vt quo aliis artibus et artificibus cunctis imperatur. Hoc ipsum nihilominus a Socrate reprehenditur denuo, quod aliae quoque artes efficiant persuasionem, et facere quaedam hominibus imperent; definiendum ergo accuratius, in quibusnam versetur rebus persuasio, quam efficit rhetorica. Tandem Gorgia, efficere eam persuasionem in iudi-

iudi-